

Apostolico canoni adversantem , qui non dum , tanquam necessarius ad salutem , servabatur , tolerasse docetur .

2. 2. *Asianorum consuetudinem , contra Apostolicam legem , quam paulatim in schisma prorupisse Nicephorus , & Eusebius fatentur , damnasse Victorem , Summum Pontificem , in Synodo Romana , idemque statutum fuisse à Synodis , Cesariensi , Hierosolymitana , Pontica , Gallica , Osrobenica , Corinthiaca , aliarumque Ecclesiarum , docet Eusebius .*
2. 3. *Apostolicum statutum si verè ab Apostolis editum non fuisset , utique totius Orbis Ecclesie prorsus à veritate aberrassent , mendaciaque pro dogmatibus Apostolicis vendidissent ; Asianorumque error non schisma , sed canonicus debuisset ritus censerì ; ac Orientales , qui teste Eusebio , Asianos à communione , tanquam alterius fidei , segregarunt , dignos culeo Romanorum fuisse , ac aeneo Phalaradis Tauro .*
2. 4. *Argumentum ex Asianorum pertinacia , contra canones Apostolicos desumptum , eorumque constanti confessione , ab Apostolis derivatam fuisse traditionem eorum , prorsus diluitur , ac Jacobi , & Pauli , Apostolorum , exemplo , qui legem , ab Apostolis latam , de circumcissione , violarunt , ac in plurimis se judaizantes , pro temporum ratione ostenderunt , convincitur Adversarius .*
2. 5. *Diluitur obiectio , quòd scilicet , in illa controversia , nec à Romano Pontifice , nec ab aliis ali-*